

stude bonitate, non vestibus placere'. Ex quo dicto, domine mi, formam capere potestis honestati vestrae convenientem et episcopum decentem, sed quanto servata honestate vestis simplicior, tanto capiti nostro, Christo Iesu, similior et subditorum bonorum mentibus fructuosior.

Cena erit semper levior prandio et brevior et ordinetur continue et, quantum fieri potest, bona hora. Post cenam autem longae vigiliae et inordinatae vitentur, quod in illis plurima tam dominorum quam subditorum bona male superhabundanter et criminose consumuntur.

Pro maximo bono totius status et salutis vestri summe diligatis requiem noctis et plus quam diei, non solum personae vestrae, sed omnium vestrum, ne, ut prius tetigi, noctem vertatis in diem et diem in noctem¹. Per hoc plura mala vitentur et bona vestra tam animae quam temporis multimode augeantur.

Item in expensis faciendis, in curiis tenendis seu conviviiis et in donis tribuendis vos taliter (?) temperetis, ne plus expendatis quam convenienter et commode persolvere valeatis. (f. 247) Minus quippe vituperabile est in his excessum non facere quam semper in debitis manere. Nam principes et magni, qui habent terras discernere sive defendere, non timentur nec quicquam facere valent, si in bonis deficiunt. Exemplum habemus ad oculum, ut scitis. Si dominus meus, licet parcus in ore nescientium dictus sit, si thesaurum et bona temporalia non habuisset, quomodo tot malis et adversis tanto tempore restitisset et adhuc vereretur ab omnibus?

In donis tribuendis secundum sapientis doctrinam haec quatuor vobis sunt advertenda, videlicet: Cui detis, quid detis, quare detis et quando detis. Multo melius est quandoque non dare, quam quod dandum est sub mutuo recipere et postea illud difficulter posse persolvere.

Et si quando ex qualicunque causa vos oporteat mutuum contrahere, caveatis vobis a mutuis usurariis, in quantum poteritis, et maxime ab illis periculosos et dampnolos mutuis, pro quibus vos oporteat multitudinem fideiussorum equestrium ad comestus ponere, sicut in Colonia et, ut audio, in Traiecto et istis partibus fieri est consuetum. Huiusmodi enim debita mutuorum saepius debitores creditorum servituti et paupertati extremae subiecerunt, ut in libro Sapientiae²: 'Qui accipit mutuum, servus est feneratoris'.

1) Iob 17, 12: 'noctem verterunt in diem'. 2) Vielmehr Prov. 22, 7.